



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

852. Quid requiratur ut possessio dicatur pacifica ad effectum hujus regulæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



*factas irritas & inanes censei debere, decrevit; antiquas lites super illis motas penitus extinguendo &c.*

2. Observandum hic imprimis in genere, quod ait C. de Luca de benef. in sum. n. 236. quod etsi frequentior sit hujus regulæ quam prioris de annali in foro usus; vulgus tamen majorem longè ei tribuat operationem, quam in effectu habet, cum ob restrictiones & declarationes nimium rari sint casus, in quibus operativa manet; hinc

*Questio 849. Quenam sit potissima vis hujus regulæ, seu triennalis possessionis?*

**R**espondeo, est impedire absolute & simpliciter, ne ullis molestiis impeti valeat possessor ratione beneficii possessi. Castrop. de benef. d. 2. p. 33. n. 8. Lott. l. 2. q. 53. n. 7. cum communi, adeò, ut contra impetramentum opposita exceptio hujus regulæ & justificata judex aliud pronunciare non habeat, quam regulam ob stare, & si quid declarat contra possessorem, illud totum sit nullum. Lott. loc. cit. citans Sarn. ad hanc reg. q. 58. Et in hoc posita est potissima differentia hujus regulæ à priori de annali, dum hæc non ita tuetur possessorem, ut nolit eum molestari, sed solum impetranti & molestare cupienti præscribit modum & tempus agendi. Lott. loc. cit. n. 3.

*Questio 850. An dicta vis restringenda ad molestias super possessione, & non extendenda quoque ad arcendas molestias super proprietate movendas: sive num hæc regula solum obstat in possessorio, & non etiam in petitorio?*

**R**espondeo, vi illius arceri utriusque generis molestias, & obtineri tam in petitorio, quam in possessorio. Tond. in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 48. citans Callad. decis. 5. n. 5. de restit. spol. & Rebuff. de pacif. poss. n. 25. Lott. cit. q. 53. n. 8. & 11. citans eundem Rebuff. in pr. p. 3. signat super clausul. derogatoris, (ubi etiam, quod contra possessorem triennalem excitari nequeat lis, neq; in possessorio, neq; in petitorio) contra Chok. ad hanc regulam. n. 73. & Felin. in c. sicur. de sentent. & rejudicat. n. 31. cujus hæc in parte doctrinam sustineri non posse in terminis, in quibus is loquitur, nimirum ubi Ordinarius ipse in titulo inquirat, juxta dicta à nobis supra ait Lott. cit. n. 8. Quin & supposita triennali, intentari nequit, sed cessat actio popularis, ut quis removeatur ab occupatione bonorum Ecclesiæ. Lott. n. 9.

*Questio 851. Qualiter vi hujus regulæ extinguantur lites antiquæ?*

**R**espondeo, illico & ut completum triennium, intra quod possessor non fuit de facto molestus, siquæ lis ante initium illius triennii contra eum, aut ejus prædecessorem mota fuit (per aliquem tamen tertium, ut Lott.) ea lis antiqua mox extinguatur penitus in ordine ad hunc effectum, nimirum ut eà non obstante, triennalis hæc possessio dicatur pacifica, cujus contrarium est in regula de annali, ubi, si antequam initietur annalis possessio, lis mota fuit possidenti beneficium, & non finita, nullatenus sit aut dicatur possessio illa annalis pacifica, etiam si intra annum in dicta lite nihil sit actum. Lott. cit. q. 53. n. 12. dicens hunc esse verum sensum verborum illorum: *antiquas lites penitus extinguentes*: & pro hoc citans Rotam in Segob. Paroch.

12. Janii. 1438. alias interpretationes dictorum verborum, super quibus plures multimodis fatigalle ingenia sua, quæque tantam præ se ferre obscuritatem, ait Chok. hic. n. 84. ut aliquo natatore opus habeat, vide apud Glossat. Alph. per plures numeros à. num. 23. apud eundem Chok. item Gomez. hic q. 6.

*Questio 852. Quid requiratur, ut possessio illa triennalis dicatur pacifica in ordine ad effectum hujus regulæ?*

1. **R**espondeo, exigitur, ut totum triennium decursum in pacifica possessione, non attentò effectu cujusvis litis ante illius triennii initium mota per tertium aliquem contra possessorem, utpote quæ penitus extrinseca remanet, quantum ad exceptionem triennalis obtentam contra impetramentum. Lott. cit. q. 53. n. 19.

2. Interrumpitur autem isdem modis, quibus interrumpi annalem, dictum est. Lott. ibid. n. 20. Quibus tamen addit modum alium interruptionis n. 21. si nimirum ipse possessor triennalis, etiam post triennium exactum, contra aliquem litem moverit, constituendo se actorem per commissionem causæ super beneficio; secus si se constituerit reum voluntarium; adeoque non super beneficio, sed super jactationibus alterius causam obtinuit committi. citat pro hoc Card. Paris. conf. 87. n. 2. l. 4. Quod si etiam turbatio seu contradictio extrajudicialis non fuerit continuata. hoc est, cepta, dein intermissa per triennium, non excluditur exceptio triennalis possessionis; quia ea non reditur non pacifica. Tond. loc. cit. n. 65. citans Burat. decis. 622. n. 8. Vide de hoc Alph. Soto apud Chok. hic. n. 25. In quo iterum differre videtur hæc regula à precedente juxta dicta ibidem.

3. Notandum etiam, quod tradit Tond. ibid. n. 68 & 69. turbationem per tertium illatam, & litem cum tertio agitatam non impedire cursum triennii quò ad alios, qui non sunt in lite, & si litiger quis adversus unum post triennium (vel etiam litigavit intra triennium) & adversus alios non, dicitur adhuc pacificus possessor quoad alios citat pro hoc Sanch. in conf. mor. l. 2. c. 1. dub. 27. securum in hoc Rebuff. de pacif. poss. n. 200. & Gl. ad pragmat. sanct. tit. de pacif. poss. v. terminorum, qui asserunt, interruptionem triennii nocere tantum quoad personam interruptentem, & tertium se ex ea juvare non posse.

4. Porro ad hujus triennii computationem nequaquam deservire potest possessio antecessoris, ut dictum ad regulam de annali, quia nullibi in jure cautum est, ut in materia beneficii, quemadmodum in profana v. g. in usucapione rerum civilium, possessio antecessoris adjudicetur successor illique prodest, ac si ab ipso haberetur; juxta l. Pomponius. ff. de acquirend. poss. Castrop. cit. p. 33. n. 8.

*Questio 853. An, & qualiter titulus exigatur, ut suffragetur possessori triennali hæc regula?*

1. **R**espondeo primò, exigitur titulus aliquis; nam in eo etiam differt hæc regula à regula de annali, quod hæc pro subiecto habeat nudum factum possessionis pacificæ, ut Lott. cit. q. 53. n. 12. adeoque sufficiat sola beneficii corporalis detentio; ad obrendendam tamen regulam de triennali, ejuisque beneficio fruendum requiritur verisimilis titulus